

lia jura data sunt. Jam inde a Divi Julii temporibus in agri publici divisione trium liberorum patres prelatos animadvertimus, Caesar enim quemadmodum tradit Svetonius capit. 20. campum Stellatam, agrumque Campanum divisit XX. millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent. Hadrianus Imperator bona damnatorum, quae ad fiscum pertinebant, illorum liberis concessit l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat. & ibi gloss. si plures essent, nempe si tres saltem, ut communis Jurisconsultorum fert opinio.

Ac illud quidem grave, & molestum civibus illis accidebat, qui legislatoris voluntati obsequentes uxorem duxissent, neque tamen liberos suscipere ex ea potuissent, omnium premiorum beneficiorumque expertes esse, quae iis paterent, qui neque majore studio, neque alacriori voluntate legi obtemperassent, sed casu dumtaxat aliquo, atque fortunam fecundam sibi uxorem adjunxissent. Ut igitur Cives hi a proposito non detererentur, siquidem singularis eorum in patriam charitas, & amor constaret, Imperatores jura illis omnia, quae trium liberorum Patribus, legibus concessa erant, rescripto largiebantur. Ecce autem quid fuerit jus trium liberorum, adeo a vetustis Scriptoribus celebratum. Martialis lib. II. ep. 91. 92. id jus a Domitiano impetravit: Plinius a Trajano lib. X. epist. 2; ac non sibi solum, sed etiam necessariis suis Voconio Romano lib. II. epist. 13. & Svetonio Tranquillo lib. X. epist. 95. At vero si Imperatores nimium faciles se ad illud concedendum praeuissent, multa profecto incommoda oriri inde in Rempublicam potuissent, plurimique ea spe ducti veros liberos procreare nequaquam tentassent. Talis certe fuit Dento ille, quem elegantissime mordet Martialis lib. VIII. ep. 31. Is, quum uxorem duxisset, eadem domi relicta Romam venerat, ut jus trium liberorum a Principe impetraret; denunciat itaque illi lepidissimus Poeta, si diutius in Urbe moram traxisset, quum domum revertisset, quattuor liberos inventurum loco trium, quorum jus ut a Principe peteret, Romam venisset.

Nam tu dum longe desertam uxore moraris, (*)

Tres quæris natos, quattuor invenies.

Idcir-

(*) Ita versiculum hunc in sua epistola doctissimus Bimard descripsit; vulgatae editiones, ac illa praesertim, quae ex Museo Petri Scriverii emendata prodit, habent
Nam tu dum longe desertam uxore, domoque
Codex tamen membranaceus MS. qui apud me servatur, habet
Nam tu dum longe desertam uxore, diuque
quod maxime probo; atque ita editum postea vidi in Edit. Corn. Schrevelii Lugd. Batav. 1656.
apud Franciscum Hackium.